



## LECTORIBUS.

Quum POTENTISSIMUS REX Idemque SAPIENTISSIMUS, post tot in remp. collatas curas, etiam de re scholastica, imo de tota re literaria atque omni vera et solida eruditione bene mereri vellet; jussit anno praeterito, Auctores, qui dicuntur, Classicos tum latinos tum graecos (quorum utrorumque gravissimos Ipse nominavit) diligentius atque accuratius in Gymnasiis tractari. Minime tamen fugit Regem Sapientissimum, omnem quidem doctrinae fontem e veteribus esse derivandum, sed hanc ipsam doctrinam non cuilibet civium ordini, ideoque non cuilibet scholae convenire. Quare Ipse Gymnasia tantum quaedam praecipuarum urbium indicavit, ubi istud consilium esset capessendum. Vix equidem mihi temperare possum, quin plura capita hujus de re scholastica mandati regii persequar, quorum quodlibet admiratione dignum est; sed, quod huic libro propius convenit, solum illud de auctoribus classicis attingam.

Mandati vero istius tria sunt momenta praecipua: *primum*, scriptores hi quam diligentissime cum juventute legantur eique explicentur, duntaxat in majoribus illis scholis, quae in praecipuis cujusque provinciae urbibus sint; *tum*, viri docti incitentur ad vertendos illos germanice, quae res et ad studium linguae patriae (quod graviter Ille commendat) et ad intelligendos hos ipsos auctores multum sit collatura; *denique*, scriptorum horum non vocabula graeca aut latina, juvenum memoriae; sed res, sententiae, tractationis modus, doctrina, et quae reliqua occurrunt, intelligentiae tradantur.